



LA SIMULACION TOTAL

Sacra Romana Rota

CORAM

Salvatore Canals

PONENTE

Kabgayen

Nullitatis
Matrimonii

SENTENTIA DEFINITIVA

(OMISSIS)

SPECIES FACTI

Die 8 maii 1941, in ecclesia missionis catholicae loci R., archidioecesis Kabgayen., in Rwanda, D., actor, tunc annos natus viginti octo, et A., conventa, vigesimum primum annum agens, matrimonium contraxerunt.

Iuxta morem patriae, A. frater, sub cuius tutela puella, parentibus orbata, posita erat, matrimonium sororis cum D. qui fere deformis erat, decrevit.

Sed coniugium infaustum sortitum est exitum: paulo post nuptias mulier virum deseruit, posteaque aliis viris se iunxit, numerosam generans prolem; idem tentavit vir, sed frustra.

Post viginti annos, mense aprili 1961 D. libellum obtulit Tribunali Ecclesiastico Kabgayen., declarationem nullitatis sui matrimonii ex capite defectus consensus mulieris petens. Die 4 februarii 1963 sententia prodiit actori favorabilis, quae tamen reformata est in altero jurisdictionis gradu a Tribunali Kitagaen. die 31 martii 1964.

Causa deinde deducta est ad N. S. T., et nunc Nobis disceptanda proponitur et definienda sub sueta concordati dubii formula:

An constet de nullitate matrimonii, in casu.

IN IURE ET IN FACTO

1) Causae definitionem aggredientes, Patres de turno animadvertere praeprimis censuerunt praesentem

litem modo nimis generico concordatam fuisse: Judices enim primae instantiae ita proposuerunt solvendum dubium: «An constet de nullitate matrimonii ex capite defectus consensus mulieris» (Summ., pagg. 8, 7).

Defectus vero consensus est terminus genericus quo generatim comprehenditur omne vitium consensus: v. gr. absentia consensus, vel insufficiens consensus, simulatio totalis ac partialis, conditio non verificata, vis et metus, et ignorantia.

Nostra quod attinet animadvertendum venit quod simulatio, cum sit quid positivum seu a voluntate procedens, consistere nequit in mero consensus defectu; relate ad vim et metum, quamvis revera actus voluntarius sit validus, tamen invaliditas provenit ab extrinseco ex positivo nempe legis praescripto.

Attamen in quibusdam casibus haud facile determinatur an matrimonium sit nullum ob consensum fictitium vel ex capite vis et metus. Qui matrimonium inii gravi sub metu ab extrinseco et injusto incusso, generaliter verum consensum emittit, etsi imperfecte voluntarium ac inefficacem relate ad vinculum. Nihilominus si quis, ob metum etsi non injuste incussum vel ab extrinseco, inducitur ad connubium contrahendum cui reluctantem se opponitur, potest induci ad simulandum consensum.

Quidquid vero est, haec causa enodata fuit sub aspectu totalis simulationis, uti patet ex duabus sententiis latis, at enodari potuisset, et quidem optime, sub aspectu vis et metus.

2) Profecto bene huic nostro casui aptantur verba a cl. mo Patrono allata, cuiusdam rotalis decisionis coram Doheny (Romana, diei 8 iulii 1953: S. R. R. Dec., vol. XLV, dec. LXXXIII, pag. 523, n. 2): «utcumque, quia metus, etiamsi tamquam impedimentum per se stans non consideretur, potest aliquando (ut in praesens) adduci velut simulationi consensus dans causam».

Metum enim patiens ad aufugienda mala sibi imminencia, nisi matrimonium impositum celebret, potest verbis dumtaxat exprimere consensum, intrinsecus vero positive denegare.

Patres de turno magni fecerunt pro eiusmodi causae definitione, quae Judices primae instantiae scripserunt, mores pingendo Regionis Rwanda ubi nempe matrimonium de quo agitur celebratum fuit: «In primis bene notandum est in nostris regionibus matrimonii consensum a parentibus et tutoribus partium plus quam a partibus ipsis praebuisse consuetum esse. Praesertim puella ante nuptias saepius ignorabant maritum suum. Iuvenis petebat puellam parentibus eius, et illi puellam insciam praestabant si de

dote (inkwano) consensuissent... En causa infelicitum nuptiarum non paucarum» (pagg. 29-30, b).

De cuius moris vigentia testimonium habetur in modo se gerendi, improbando utique, Rev. di Joannis, qui illo tempore praeerat Missioni Catholicae loci («était alors supérieur de Rulindo»: Summ., pag. 6), quique cuidam puellae (quae forsitan conventa huius causae erat) resistenti matrimonio invisio «répondit qu'au Rwanda les jeunes filles n'avaient rien à dire, et c'étaient les parents qui mariaient leurs filles et qu'elles n'avaient donc qu'à obéir» (Summ., pag. 6).

Uti certum tamen assumere non possumus haec omnia sese referri casui nostro, quandoquidem R. P. Marcus, qui eiusmodi notitias nobis attulit, praedictae suae relationi praemittit: «Cependant il peut se faire qu'il s'agit du cas lamentable que voici» (pag. 6). Et postea hoc, incredibile dictu, addit: «Bref, on proclama les bans, mais le Père Jean, s'étant de nouveau absenté pour aller en retrait à Kabgaye, c'est moi qui devais bénir ce mariage. Estimant qu'en conscience je ne pouvais le faire, je fis avertir les jeunes gens en question de ne pas venir car je ne les marierais pas. Apprenant la chose à son retour, le Père Jean les maria lui-même la semaine suivante» (pag. 7).

At quamvis haec omnia, morali cum certitudine de casu nostro praedicari non possint, certum est tamen et nostram facti speciem, praecisione ab iis omnibus facta, abnormem se ostendere: nam, in casu A., mulier conventa, parentibus orbata, sub tutela fratris erat; et matrimonium tantummodo sub fratris potestate et arbitrio erat. Ipse enim frater A. promisit sponsam actori: «Etant donné que mes parents sont morts, c'est mon frère qui a donné son consentement» (12, VI). Nec A. quidquid poterat ad matrimonium vitandum, prout ipsa in vadimonio candide confessa est: «Il m'a dit qu'il a accepté des bières, je ne pouvais rien parce qu'en ce moment une fille n'avait rien à dire» (12, VI).

Quae certe sufficient ad fundamentum constabiliendum huius causae.

3) Clarissime quoque ex Actis resultat conventae aversionem in actorem et erga invisum cum eo matrimonium.

Satis sit ad rem haec ex actis excerpere, quaeque uti certe probata habenda sunt:

Actor, qui, variis infirmitatibus corporalibus laborabat, oculos suos vertit in A., de matrimonio cogitando, ac, uti mos est, dona ferebat; at «quand la jeune fille appris les défauts physiques de son fiancé,



elle déclina aussitôt l'offre» (pag. 1): ubi clara evadit causa aversionis erga matrimonium.

Quae a testibus confirmantur: testis R. deponit: «D'après moi, je voyais que A. (conventa nempe) ne voulait pas de ce garçon parce qu'elle se moquait de lui en public. Partout où ils se rencontraient, elle riait de lui» (20, VIII). Cui concinit testis D. asseverans: «Elle n'en voulait pas à cause de sa démarche, parce qu'il avait perdu quelques ors» (15, IX). Idem asserit testis A. (17, VI).

Nec satis, nam: «La fille a refusé le garçon deux fois. R. me l'avait écrit disant qu'il avait essayé d'empêcher le garçon à continuer ses fiançailles. Mais ceux qui aidaient le garçon continuaient à supplier, et la fille n'en voulait pas, parce qu'il avait des chiques aux pieds» (18, VI).

In hac ergo clara atque fundata aversionis A. erga matrimonium cum actore ponenda est causa simulandi, in casu, quae certe apta et proportionate gravis apparet.

4) Nec licet aliam invenire in casu contrahendi causam, nisi fratris A. voluntatem, decernentis matrimonium invitae sororis.

Hoc enim ex Actis certe desumitur; nam, ex verbis testis D. patet quomodo ad matrimonium in casu deventum est: «Pour la quatrième fois, nous avons de nouveau apporté d'autres bières, et pour finir cette fois-ci on a été d'accord pour nous donner **umugeni** (la fiancée)» (15, VI).

Quod iam legebatur in litteris Rev. di Parochi Rwigwi Rev.mo Officiali «du Rwanda-Burundi» (Summ., pag. 1): «Mais comme la fille était orpheline, son frère qui était alors son tuteur lui donna l'ordre d'accepter ce mariage, adviendra que pourra; sans devoir pour l'instant désorganiser les affaires familiales».

Quod iterum patet ex verbis mulieris, cui fides tribuenda est: frater enim puellae, postquam dotem et praesertim potus traditionales acceperat, matrimonium sororis decrevit; A. tamen «dit à mon frère que je ne veux pas ce jeune homme, et il m'a répondu qu'il a bu des bières, et qu'il me ne peut faire autrement» (12, VII); et iterum eadem conventa deponit: «mon frère m'a forcé d'accepter parce que les bières avaient été acceptées et bues» (24, III).

Nec adduci potest ut causa contrahendi desiderium A. se a servitute liberandi: fortasse asserere licet conventae libertatem a servitute fuisse unam ex causis propter quas frater nuptias decrevit A., uti desumi videretur ex depositione testis D., asseverantis: «On a accepté pour que A. ne reste pas trop

longtemps servante, et la femme qui la soignait, était aussi servante» (15, X). Dici igitur potest quod ut a servitute liberaretur A., necesse erat nuptias inire, quas ex arbitrio (aut propter rationes ab ipso tantum aestimatas et aestimandas) frater decrevit, puellam tradendo cuicumque juveni eam posceret, dummodo dotem offerret. Quod reapse maxime congruit cum praefata iniqua consuetudine, iuxta quam (ut supra ostendimus) mulieres existimantur consensus vel dissensus incapaces.

5) Quae cum ita sint, nemo estquin videat quod his in casibus mulier tantummodo simulando consensum potest eiusmodi consuetudini contra naturam se substrahere et interiorem servare libertatem. Acute enim animadvertitur in una Catanen., coram Felici, diei 5 maii 1953: «Maxime porro fundata dicenda est causa illa, in qua demonstretur partem; quae simulasse dicitur, veluti coactam matrimonium contraxisse..., vix enim concipi potest ut revera in matrimonio consentiat qui illud rem odiosam habet, nulliusque commodi (et id iam mente agit) in posterum futuram» (S.R.R. Dec., vol. XLV, dec. LI, n. 2, pag. 316).

Patres vero de turno, quin asserere velint in hucusque allatis atque probatis iam inveniri simulationis totalis probationem, nihilominus eiusmodi probationem de totali simulatione a muliere patrata, morali cum certitudine desumunt: ex verbis conventae statim perpendendis necnon ex circumstantiis matrimonio concomitantibus et subsequentibus confestim enucleandis, una simul cum jam statuta comparatione causam simulandi inter et contrahendi causam, quae unice reponenda videtur in coactione, quam conventa in casu passa est.

6) Coacta igitur mulier ad matrimonium invisum, ipsa intrinsecus positive consensum, quem externe manifestare debebat, denegavit, ipsum matrimonium reiiciens. Eadem enim conventa fatetur: «J'ai voulu dire au P. Mestdagh que j'avais reçu le sacrement d'une manière publique. Mais dans mon coeur, je ne voulais pas» (23, I). Quae verba, eo vel magis si recte perpendantur atque prae oculis habeatur prolata esse a muliere, quae rudis est et valde exulta, efficaciter expriment simulationis totalis substantiam. Quae conclusio revera valde roboratur a circumstantiis simulationem efficaciter significantibus. Ad rem legitur in praeaudata decisione rotali coram Doheny: «Homines rudes et verbum «simulatio» aliquando ignorant, sed optime loqui et a gere tali modo sciunt, ut intelligere sinant ab ipsis simulationem ac fictionem perpetrata fuisse» (pag. 528, n. 5).

In itinere enim ab Ecclesia ad domum coniugalem,

A., prout deponit actor, «a refusé de continuer le chemin. Je ne veux pas, disait-elle. On a dû la forcer, et même la pousser tellement, elle ne voulait pas» (10, VI). Quod confirmatur a testibus A. (18, XI), et a D. (15, VI).

Vita communis valde brevis atque infelix fuit: alii loquuntur de tribus diebus, alii de tribus hebdomadis; quidquid vero est, iuxta partium depositiones, matrimonium inconsummatum mansit.

Actor enim deposuit: «Après avoir reçu le sacrement du mariage, la fille a refusé de venir passer la nuit dans ma maison. Rien ne s'est passé la première nuit. Rien non plus la seconde nuit. La troisième nuit, on a supplié la fille de chez moi pour que nous passions la nuit ensemble; arrivée chez nous, elle s'est enfui... jamais nous n'avons consommé le mariage» (22, II et III); conventa idem retulit: «La première nuit, nous l'avons passée ensemble. Il ne m'a rien demandé et n'a rien fait sur moi... et c'est ainsi pour la deuxième nuit... toutes les nuits que j'ai passées avec lui, c'est la même drame comme la première nuit» (13, IX e X); et in altera interrogatione eadem conventa dixit: «jamais nous n'avons consommé le mariage. Jamais nous n'avons uni nos corps».

Quod confirmatur a duobus testibus, nempe A. (18-19, XII) et D. (15, XII).

Nec obiici potest quod conventa locuta sit de defectu «mansunzu», quia abstulit illud a proprio capite,

quod erat signum consummationis matrimonii, quia senior christianorum testis D. deponit: «J'ai fait enlever les mansunzu...» (15, XII).

Quae omnia simul sumpta attente considerata, quidquid est de matrimonii ipsius inconsummatione, sufficienter demonstrant consensum ex parte mulieris simulatum.

Quibus omnibus tan in iure quam in facto rite pensis. Nos infrascripti Auditores de turno, pro Tribunali sedentes et solum Deum prae oculis habentes, Christi Nomine invocato, decernimus, declaramus et definitive sententiamus, respondentes ad dubium propositum:

Affirmative, seu: constare de matrimonii nullitate, in casu.

Ita pronunciamus, mandantes Ordinarii locorum et ministris Tribunalium, quibus spectat, ut executioni mandent hanc Nostram definitivam sententiam, et adversus reluctantes procedant ad tramitem C.J.C., lib. IV, tit. XVII, adhibitis iis executivis et coercitivis mediis, quae, attentis rerum adiunctis, efficaciora videantur.

Romae, in Sede Tribunalis S. R. Rotae, die 15 junii 1966.

Salvatore Canals, Ponens
Adamus Pucci
Joseph Palazzini

Marius F. Pompedda, Not.